De

Ablativo Absoluto Latinorum,

Disquisitio Grammatica,

quam

Venia Ampl. Facult. Philos. Lundens.

p. p.

Mag. GUSTAVUS WETTER,

Hist. Septemtr. & Antiqu. Docens, ad Bibliothecam Amanuensis E. O.

et

CAROLUS G. LEIJONHUFVUD,

Liber Baro.

In Auditorio majori die XXI Julii MDCCCXLI.

LUNDÆ,

Typis Excudit Carolus Fr. Berling,

Universitatis Thypographus.

MDCCCXLI.

Der grösseste Fehler aller Untersuchungen über Sprache, so viele ich ihrer etwas genauer kenne scheint dieser zu seyn, dass man die Erklährung im objectiven suchte und nicht vielmehr auszumitteln unternahm, mit welcher Anschauung oder Idee unser Geist die Gegenstände und ihre Verhältnisse betrachtete, oder welche Beziehungen er hinein lege. —

Wüllner.

Res grammaticas linguæ cujusdam perscrutaturi permultum interest, non regulas temere cumulare cumulatasque accumulare, sed indefesso studio & labore eniti, ut vim linguæ & naturam comprehendat, causasque, cur ii, qui hac lingua usi sunt, hoc non alio modo sensa sua pronuntiaverint. In summa autem Grammaticorum turba multi fuerunt, quibus hoc propositum non videatur. Formæ igitur, sibi exponendæ hanc vel illam sententiam tribuerunt, contendentes hoc vel illud exprimere, cum tamen statuendum esset, quomodo res expressa nobis intuenda esset & comprehendenda. Omnis enim linguæ, ut apud Ciceronem legimus, proprium est sensa dicendo exprimere, quæ quidem ex externis non depromit homo, sed ex ipso animo, quem adumbratæ res & effictæ ad agendum impellunt. Præterea linguam, qualis fuerit adultiori ætate & provectiori delineant, parva vel nulla adhibita diligentia, cum ad puerilem ejus ætatem, qua tamen formam, sibi a natura indutam ostendit, tum ad senilem, a qua reconditi sermonis sensus elici possent, & res, de qua quæstio sit, percepta. Id etiam mihi permirum videtur, scriptores grammaticæ latinæ, poetas non tam consuluisse, quam ipsa res postulat. Cum enim poetarum proprium sit, vividioribus quasi coloribus sententias depingere, accedant necesse est dictionibus suis ad primam linguæ ætatem, qua omnia, sensibus percepta, avidius celeriusque arripiantur. Recte igitur postulare videntur, ut in omni lingua nihil sit

inconstans & vagum, nihil, quod cum principiis semel adoptatis probatisque non amice conspiret & consentiat; cum autem ad poetas sese applicant eorumque sensa explicanda sumunt, hanc sibi licentiam arrogare solent, ut quas ipsi sibi leges constituerint, eas iidem interdum spernant & negligant, satis superque demonstrantes regulas in natura linguæ & vi non esse nixas. Regulæ vero semel inventæ subjecienda sunt, quæ summa ope adversantur & reluctantur. Hinc aberrationes illæ a regulis & anomaliæ variæ & quasi multifariæ. Sic, ut exempla afferam, præscribunt, adjectivum illud *refertus*, si persona adest Genitivum adoptare, quod si de re agitur, Ablativum, cui sententiæ maxime repugnant loca Cic. Or. 41. Phil. 2: 27. Alii de Gerundii & Gerundivi usu commenti sunt, adhibendum esse Gerundium, cum notio ipsa, quæ alterutra forma est designanda, priorem locum habet, Part. fut pass. vel Gerundivum, cum secundaria hæc est notio. Collocationem Gerundii multum valere, & omnia ex arbitrio pendere, quis est quin videat. (Confer Cic de Off 2: 12 *Pecuniæ non quærendæ solum ratio est, sed etiam collocandæ*, Cic. p. Mur. 37. *Inita sunt consilia urbis delendæ, civium trucidandorum, nominis Romani exstingendi.* Cic. Phil. 6 1. *Nullam moram insequendi Antonium interponendam putavi*). — Caussam, cur urbium nomina 1:mæ & 2:dæ declinationis, Sing. Num. Genitivum postulent, appellativum, vero quod dicunt, si adjunctum sit, Ablativum, vir de Grammatica latina multis modis bene meritus, in defectu, vel ellipsi verbi *urbe* quærendam censet. Jam tum exploratum fuit 1), latinam linguam numeri Singularis casu peculiari aliquando formam distinctum, habuisse, qui quidem, vi Sing. in *i* desiit & primæ atquæ secundæ declinationis Genitivo, tertiæ vero Ablativo consonuit **). Sed id nunc non ago, ut in certamen cum Grammaticis

---

1) *Friedrik Rosen,* Prolusio corporis radicum Sanscritarum, Berol. 1826.

**) Præterea, qui in pueris instituendis per multos annos versati sunt, ii sæpissime Grammaticæ conscribendæ vacant, & quo magis regulis conficiendis colligendis aptandis in scholis insudarunt, eo tenaciores solent esse veterum aviarum, ut, quæ pueri didicerint, ea viros aut senes dediscere pudeat. Exemplem afferre lubet. Divisionem illam Temporum perfectæ & imperfectæ actionis, jam a Varrone (L. L. Ed. Scalig. 1631 p. 89.) & Prisciano institutam, recentiores Grammatici admiserunt & ipse *Freund* (in judicio de

conscendam. Allatis vero satis illustratum credo, quantum Grammatici intersit certa habere principia, eaque in omnibus constanter persequi, quod etiam Grammaticos plerosque non latuit. In doctrina de casibus linguæ latinæ ad certa principia reducenda, multum laborarunt & sudarunt. Primum animadvertendum videtur, alios formæ casuum & nominis rationem habuisse, alios vero indolem & vim eorum respexisse 2). Alii enim perhibent Casus esse flexiones nominum per immutationem novissimæ syllabæ; alii vim eorum & sensum respicientes tam laxis finibus eos circumscripserunt ut eis omnia fere alia subjecta esse possint; alii casuum notiones ita definiunt, ut significationem usitatissimam, eisque ante alias cognitam, expromant, quorem ex. c., in numerum referendi sunt sii, qui Genitivi possessivam significationem primariam esse volunt; alii denique Casus, actionis tantum rationes designare volunt.

Scripturis nobis de Ablativo Absoluto latinorum non religioni solum, sed necessitati fuit, prino definire, quid velit notio casus Ablativi; alias enim disquisitio nostra vaga fuisset, nullique stabili fundamento innixa —;

Lateinische Schulgrammatik von August Grotefend, quod invenies in Jahrbücher f. Phil. u. Paed., Tom XIII p. 136) hancce divisionem *mit Recht in allen neuern Grammatiken Aufnahm gefunden*, quamvis nemo non videat, apertissime rerum naturæ repugnare & actionem cum actionis negatione confundere.

2) Casus sunt quidam gradus declinationis, dicti, quod per eos, pleraque nomina a prima sui positione inflexa varientur & cadant. *Diomedes*, de oratione & vario genere metrorum, ed. Putsch. p. 276. Casus a cadendo, quod nomen ab hac terminatione cadit in illam. Alcuin p. 2100. Die kasus sind besondere Formen des auf das Prædikat bezogenes Objectes. *Becker*, Ausfürl Deutsche Grammatik 1. p. 232. Plura de hac re lecturum delegatum volo ad Priscianum, ed. Putsch. p. 669. 727. sqq., Grammaticam *Philippi Melancthonis* Vitchurgæ 1603 p. 71. *Ruddimanni* Grammaticæ Lat. Institutiones Edinburgi 1725. *Sanctii* Minervam, ed. Perinzonius, Amstelodami 1733 p. 32. & inter recentiores *G. F. Grotefend*, Grosse lateinische Grammatik, Frankfurt am Mayn 1823 Tom 1 p. 274. *Fr. Wüllner*, Die bedeutung der sprachlichen Casus u. Modi, Münster 1827 p. 4 sqq. *J. A. Hartung*, über die Casus, ihre Bildung u. Bedentung in d. Griech. u. Lat. Sprache, Erlangen 1831 p. 51 sqq. *R. Kühner*, Ausfürl. Gram. d. Griech. Sprache. Hannover 1835. Tom. II. p. 147 sqq.

sed laboriosa est res & perdifficilis, quare justum quemque & æquum æstimatorem rogatum volo, ne justo acerbius de periculo nostro judicium faciat.

Origo & quasi locus omnis hominum contuitus est spatium. Quæcumque autem in spatio sensu percipiuntur, aut motu gaudent aut quiete: quæ moventur bifariam distribui possunt, quippe quæ aut motum de loco significent aut motus ad locum. Tres igitur casus excultior quævis lingua fere habet, Genitivum, Accusativum & Dativum. Nominativum & Vocativum rationibus non spernendis nixi, casibus adnumerare noluerunt viri doctissimi 3). Ii etiam, præterquam quod nihil haustum ex vago vellent, Priscianum Grammaticum auctorem citare possunt 4). Casus Gen. & Acc. missos facio, quippe qui a nostro instituto sint alieni. Dativo & Ablativo ab initio eandem fere terminationem fuisse, persuasum habeo. Quintilianus enim docet, Romanis litteram fuisse, cujus sonus neque *e* plane, neque *i* fuit, quemque per *ei* expressum esse. Quod etiam videre

---

3) Sunt qui duos tantum casus admittant, Gen. & Dat. Nominativum & Voc., ut casuum vi non præditis, abjiciunt, nec non Accusativum, quippe qui supervacaneus sit. Quietem *in loco* effici perhibent per motum *ad locum*, quo motus terminatur. Et cum lingua caussam effectu sæpe confundat, sibi persuadent, notionem *ad locum*, exprimi posse per notionem *in loco*. Ingeniosa quidem est sententia nec rationibus plane destituta. Tschercassorum enim lingua duos tantum habet casus, Gen. in *me*, Dat. in m. In lingua Mongolico-indostanica Gen. desinit in *ka*, dat. in *ku* (*Adelung*, Mithridates IV: 507, I: 183). Præterea Dativus sæpe vicem supplet Accusativi ex. c. Hunc ubi tam teneros volucres motumque peremit, Qui luci ediderat. Cic (Homerum convertens) Div. II: 30, Cfr. Il. *Ο*. 368; *Ψ*: 199; Od. *Ε*: 235. Xen. Anab. IV: 8. 19. Accedere muris, Liv. XXIV. 20. Vide præterea *Weissenborn*, Syntax der Lateinischen Sprache, Eisenach 1835. p. 195. Hartung l. c. p. 81. *Kühner*, l. c. p. 239. Et ut de aliorum quorundam populorum lingua mentionem faciam, Fennica XV casibus scatet, quos percenset *Sjögren* in opusculo, quod inscribitur: Ueber die Finnische Spr. u. ihre Litteratur p. 21. Lingua Armenica X casus admittit, præter 6 illos in linguam latinam receptos, etiam Narrativum, Commorativum Instrumentalem & Circumlativum (Adelung l. c. 1: p. 424.) Lingua Aymarica (Americamerid.) duplicem Accus., habet triplicem vero Ablat. Loangorum & Cacongorum linguæ nullas flexiones subeunt (Adelung l. c. III: 1. 212, 539 sqq).

4) *Priscianus*, ed. Putsch. p. 670.

licet ex Arvalium Carminibus, e legibus XII Tabb., cet. monumentis antiquissimis, ut *alternei*, *Junonei*, *Jovei*, *quei*, *lucei*, *ipsei*, *virtutei* 5). Temporis autem decursu *e* Ablativo, appositum est, *i vero Dativo*. I finale tamen in Ablativo Sing. hujus declinationis toties deprehendes, ut pro certo statuere non possim, quæ nomina hujus declinationis in Ablativo *i* habeant, quæque *e* retineant. Idem fere valet de 1:ma, ubi *ai*, (cfr. *caideto*, *caisos* (Legg. XII. Tabb II.) *Gnaivod*, *aidilis* (Inscriptio sepulchri Scipionis), *aulai* (Priscianus p. 1039). Hinc Livius I: 23, *multum illi terra pollent, plurimum, mari*. Liv. V: 51, *terræ alia celavimus* 6). Et de 4:ta declinatione docet Aulus Gellius. (Noctes Atticæ IV, 16) priscos in Ablativo dixisse *fructui*, *exercitui*.

Ex eis quæ diximus satis constat, inter Dativum & Ablativum si formam respexeris, nullam fuisse olim discrepantiam; jam erit nostrum, paucis docere, quæ notio his casibus subjecta sit. Supra strictim attigimus, Dativum exprimere quietem *in loco*, sive cum quæstio fit per *ubi*, quod quidem etiam de Ablativo affirmare ausim. Objiciunt sane viri, iique doctissimi, præpositiones, & motum *de loco* & motum *ad locum* significantes hunc casum adamare, quod tamen naturæ hujus casus non adversatur. Latini enim, cum sententias, ubi quæritur per *unde*, proferunt, animum ad punctum lineæ, ut ita dicam, unde motus ortus est, attendunt, minime vero ad ipsum motum; & cum hoc casu motum *ad locum* describere volunt, non tam ipsum motum, quam motum in consecutione sua, cum re connexa, respiciunt. Genitivus motum de *loco* etiam designat, sed inter Gen. & Abl. hoc maxime interest, quod hic punctum ipsum, nulla ratione ipsius motus habita, significat; Genitivi vero proprium est, non solum punctum, unde motus proficiscitur, denotare, sed motum etiam postulare; cumque igitur ipsum motum quasi vividius depingat Gen., scriptores, præsertim poetæ hoc casu frequenter utuntur, ex. c. *orbus auxilii* (Plaut. Rud. 2: 3, 19. *Pectus viduum amoris* (Ov. Amor. III: 3. 18.) 7).

---

5) *Grotefend* l. c. Anhang VI. Aelteste Sprachprobe der Römer in Versen u. Prosa p. 285 sqq. 6) Cfr. χαμαί humi, πάλαι &c.

7) *J. G. Waldenström*, Försök i lat. språkets Syntax. Örebro 1830 p. 64 sqq. &c. Hanc constructionem redolet etiam lingua Teut. & Suec. e. c. *geisteskrank*, *kriegserfahren*, *sinnessvag*, *krigserfaren*.

Inclinat igitur animus ut credam Genitivo & Dativo eandem & formam & vim atque naturam ab initio fuisse. Ablativum autem etiam designare, quo tempore quid acciderit, ex allatis conjicere licet.

Temporis momentum, i. e. tempus præcise significatum, in Ablativo effertur; duratio vero temporis, i. e. tempus continuatum, quod spatium temporis amplectitur, Accussativum desiderat 8). Hanc sententiam non impugnat *Cic.* illud: Phil. II: 1. *Nemo his annis viginti fuit reipublicæ hostis, qui non bellum eodem tempore mihi quoque induxerit*, de quo bene *Billroth:* es sey an keinem einzigen Punkt der Zeitlinie von zvanzig Jahre ein Feind aufgetreten &c. Sed hæc hactenus. Formam & vim casus Ablativi, quam potui brevissimam, ex propria linguæ lat. indole eruere conati sumus, quare jam ad Abl. Absolutum pergamus.

Casus Absolutos appello, qui in enuntiatione per se constantes & absoluti, (inde nomen) in casu, quam notio subjicit, positi ocurrunt, quorumque usus brevitatis, ut dicit. Gernhardus, 9) & concinnitatis studio potius tribuendus, quam necessitati, quæ unam orationis perspicuitatem postulat. Naturam adverbiorum, quorum est addere adjectivis, verbis aliisque adverbiis modos quoscumque sive qualitates, ad rem declarandam adjectas, induunt; Adverbii vero ea est vis, ut in enuntiationem plenam facile commutari possit, quæ quidem vis oculorum aciem eo facilius præstringit, si ex casibus originem suam ducat ut *forte, hodie, interdiu, sinistra, dextra, utraque, falso, vero, continuo, subito, partim, bifariam, foras* &c. 10).

---

8) *C. G. Zumpt*, Latinsk Grammatik, Örebro 1833, p. 294. *G. Billroth*, Lateinische Schulgrammatik, Zweite Ausg., Leipzig 1838. p. 245. *Weissenborn*, l. c. p. 140 sqq.

9) *A. G. Gernhardi* Opuscula, Lipsiæ 1836. p. 134.

10) Librum *A. de Wannowskii* qui inscribitur *Syntaxeos anomalæ Græcorum pars, de constructione, quæ dicitur absoluta*, non legi; in critico autem judicio, quod de hoc libro tulit probus & æquus æstimator *F. Ellendt* (Vide N. Jahrbf. Phil, u. Pædag. Tom. XIX. p. 119 sqq.) sententiæ, quas protulit hic auctor recensentur meritoque reprehenduntur. In ipsa definitione casus abs. vehementer errat: er nenne absolute Kasus, welche statt eines Gen. absol. stehen, oder in denen Zeit- mit Orts-begriffe enthalten sind; quamobrem me non multum piget hunc librum non legisse.

Primum igitur, ut ex nuperrime allatis compertum habemus, substantivo l. adj., casu, quem desiderat notio, posito, utuntur Romani.

2) Nomen nomini conjunctum Ablativum Abs. sortitur e. c. *me consule; Claudio vivo* 11). Indolem, qualem supra Ablativi propriam demonstravimus his locis exstare, nemo non facile deprehendit.

3) Quod si nomina participiis adduntur, enuntiationem intermediam sive secundariam, quæ quidem neque ex verbis neque ex præpositione, ut censet *Sanctius*, suspensa est, sed necersitudinis quodam vinculo cum primaria enunciatione conjuncta, cumquæ hæc aut tempus exponit, aut causam, Ablativo utamur necesse ese.

Oratio illa tenuis simpliciter res narrat nihilque aliud quærit, nisi ut, quid gestum sit, appareat; orationis autem genus concinnius & exquisitius ita orationis partes ordinat, ut loco digno quæque res ponatur, quo construendi modo clarior lux enuntiationi primariæ affertur. Pro: *reges exterminavit*, (*sive postquam reges exterminati erant*) *libertas in republica constituta est* scribimus: *regibus exterminatis l. i. r. c. e.* Et cum Abl. Abs. temporis momentum vel causam, ex qua quid sequitur contineant, hanc constructionem *Ablativos consequentiæ* falso appellarunt multi Grammticæ lat. scriptores 12).

Hic autem duo observanda sunt; aut enim enuntiationes idem subjectum habent, aut varium. Quod si eodem subjecto gaudeant, ut *comitiis peractis abiit* pro *comitia peregit et abiit*, constructio Ablativi Absoluti ultro se offert; verbo enim *comitiis* additur participium *peractis*, quod quidem cum & agendi patiendique & temporis notationem afferat, orationem concinnam facit & aptam ad temporis momentum describendum 13), cumque comitia prius peracta essent necesse fuit, participium præteritum est adhibendum. Quod si varia habeant subjecta enuntiationes, & præteritum & præsens part. usurpatur, prout temporis ratio pastulat. e. c. *Tarquinio regnante Pythagoras in Italiam venit.* Cic. Quæst. Tusc. I: 16. *Regibus exactis, consules creati sunt.* *Liv.* IV. 4.

Participium illud, quod substantivo, absolute posito, additur, vim prædicati semper sibi induit, quo ab attributivo, quod dicitur, participio facile

---

11) Cfr. *Germ.* frohes Herzens, grausamer Weise, ebner Erde wohnen; *Gall.* Il entra la tête nue *Jsl. midhra garda* (in media aula).

12) In verba Prisciani V. 14. jurarunt. Hac utimur, inquit, constructione, quando con sequentiam aliquam rerum, quæ verbo demonstrantur, ad eas res, quæ participio significantur, ostendere volumus. Quid est enim, Trajano bellante victi sunt Parti, nisi quod secuta est victoria Trajanum bellantem.

13) Vid. *Weissenborn*, p. 141.

distinguitur, v. c. *florente herba*, ubi *florente* absolute est positum; at in *florente herba abscissa*, non *florente* absolute positum credas, sed *conflagrata*.

Rarius vero accidit, ut Latini futuri participii activi ablativo absolute utantur. Cujusdam enim rei eventus, alia re, quæ in futurum differtur non sæpe definitur e. c. P. H. N. XI: 17. *Rex apum, non nisi migraturo agmine, foras procedit.*

Proprium etiam est linguæ latinæ, si substantivis attributa quædam apponantur, solos casus sine præpositione admittere e. c. *Hannibale duce militavit*; sed si verbum *duce* omissum est, *sub Hannibale d. m.* Me quidem non præterit, præpositionem sæpe esse præfixam, præsertim apud poetas, ut vividior fiat oratio et clarior e. c. *Martial. Sub te præside, Nerva, licet — Sed tu sub principe duro* &c. Vide Sanctii Min p. 674. Sed non video caussam, cur hæ dictiones de numero Abl. Abs. eximantur. Notationem enim temporis non minus exprimunt, quam *regnante Tarquinio factum est.* Cum autem subjectum enuntiationis absolutæ in sequente verbo ut pronomen invenitur, Ablativo Abs. non est utendum, nisi adjuncta majoris momenti sunt proferenda. e. c. *Cæs. Hannibal, Flaminium consulem insidiis circumventum occidit. Obsidibus imperatis centum, hos Aeduis custodiendos tradit.* Atque ita eodemque sensu Ablativum Abs. invenies apud *Cic. Non potes effugere hujus culpæ finem, te patrono.*

E vi & natura participiorum & Ablativorum Abs. aperte colligere licet, enunciationes concessivas & conditionales, absente conditionis vel concessionis vocula, Ablativum Abs. admittere 14).

Neutra præteriti participii, ut *comperto, desperato, edicto, explorato, pacto*, cum temporis notionem exprimant, vicemque enuntiationis secundariæ suppleant, ad Ablativos Absolutos revocanda sunt.

Regulas illas plurimas, quas de casibus abs. conscripserunt doct. viri *Ramohorn*, *Waldenström* cet. maximam partem omissas volo. E vernacula enim in latinam linguam versuro magis conducunt, quam ad vim & naturam Abl. Abs. respiciunt.

Linguis Gothicas etiam esse Ablativos Abs. non est infitiandum, quorum autem omnia vestigia persequi a re proposita alienum est, pauca tantum afferre hic mihi fas sit. Lingua antiqua Gothica: *thaimthan afgaggandam*, (his autem proficiscentibus). Isl. *at upverandi solo; at sva göro.* Teut. a) ant. *stantêm allêm* (stantibus omnibus. b) hodierna: *unbewust seinem Vater*; *dieses gesagt* sive *dies gesagt. Suec.* sagdt (Adlerbeth, Virg. Aeneis öfversatt af, V: 315, VIII: 175), min fader ovetande. cet.

---

14) Interdum concessivam vel conditionalem particulam expressam videbis ut *Suet.* Cæs. 34. Flor. IV: 1.